



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCVIII. Lumbis Præcinctis, & Lucernis ardentibus, Præparario
ad Mortem designatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

per intellectum repositus, ibi & cor nostrum erit; quia eò per cordis & voluntatis affectum feremur.

MEDITATIO CCCLVIII.

*Lumbis Præcinctis, & Lucernis
ardentibus, Preparatio ad Mortem designatur.*

Luc. 12. v. 35.

PUNCTUM I. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ
ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus ex-
spectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptijs,
ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.*
Luc. 12. v. 35. Postquam Christus Discipulos suos à
solicitudine rerum temporalium dehortatus fuerat,
adhortatur illos hac similitudine ad solitudinem Re-
rum Æternarum, felici morte obtinendarum: & ad
eam obeundam ita vult esse paratos, quemadmodum,
qui lumbos præcinxit, est paratus ad ambulandum
sine impedimento, quod pedes vel retardare, vel e-
tiam ad lapsum implicare solet, præsertim quando
sursum ascendendum est. Itaque qui pedes, id est,
affectus suos ab omni re terrena, voluptate, hono-
re, conversatione, & amicitia humanâ &c. liberos
habet, & hæc omnia statim deserere paratus est, me-
mor, quòd in Cælo longè majores Honores, Volu-
ptates, Divitiæ, Amici &c. acquirantur, nec ulla mor-
te amplius tollantur, ille lumbos jam habet præcin-
ctos, & expectat Christum, è Nuptijs Cælestibus ad-
se redeuntem, ac comitandum ad illud grande concla-
ve, ubi vigilantibus Servis Cænam Magnam instruet,
& transiens ministrabit. Alius adhuc necessarius mo-
dus

dus lumbos præcingendi est, tollere nimirum omnem
 reatum pænæ, in Purgatorio persolvendæ; hæc enim
 nos, quò minus è terris ad Cælum statim ascendamus,
 aliquamdiu adhuc retardat. Itaque affectu omni
 Bona terrena deserere, hoc ipso, quòd terrena, v
 lissima, vanissima, & per mortem brevi, etiam in v
 tis, re ipsa tollenda sint; proinde nullo eorum ad lon
 gioram vitam ac usum allici se sinere, libenter mori
 ab omni reatu peccati liberum esse, post mortem
 Cælum statim intrare posse, & esse cum Christo,
 lumbos restringere est.

PUNCT. II. Considera etiam, quid sit, lucernas
 ardentes in manibus tenere. Nempe lucernæ in ma
 nibus sunt Opera Bona; sine Gratia tamen Sanctifi
 cante sunt velut lucernæ, aut lampades extinctæ,
 ut itaque ardeant lucernæ, Lux Gratiæ necessaria
 est. Ne ergo ullo gravis peccati flatu, vel olei, quò
 est, Bonorum Operum defectu, Gratia extingatur,
 diligentissimè cavendum est.

PUNCT. III. *Beati Servi illi, quos, cum venerit Do
 minus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præ
 cinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministra
 bit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vi
 gilia venerit, & ita invenerit, beati sunt Servi illi.* v. 37.
 Quandoquidem certum est, Dominum esse ventu
 rum, simul tamen etiam incertum est, an Dominus
 in prima, vel secunda, vel tertia noctis, id est, vite
 hujus tenebrôsæ, vigilia, nempe an in ætate juvenili
 virili, vel senili sit venturus, & an hac vel illâ hora
 ideo constanter lumbos præcinctos, & lucernas ar
 dentes per omnem ætatem, imò per omne momen
 tum esse oportet, ita ut statim sine ulla alia præpara
 tion

tionem mori possis. Neque grave sit, ita semper vigili oculo in obsequijs stare, & Dominum expectare, breve enim omne hoc tempus est, quo DEO servimus; quando autem ipse faciet nos discumbere, & transiens ministrabit nobis, tempus illud æternum est. Quis ergo pro æterno Ministerio Domini non præstet illi Ministerium temporale? Hanc continuam Vigilantiam in Obsequijs Domini, & præparatam Adventus illius expectationem, declarat Christus alia similitudine. v. 39. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Adeoque in illam horam etiam paratus esse debes, quâ non putas te moriturum. Neque enim per verba illa: Non putavi: negligentiam præparationis excusabis, sed potius accusabis.*

MEDITATIO CCCLIX.

De Prudenti Cura Animarum.

LUC. 12. v. 41.

PUNCTUM I. Postquam finiêrat Parabolam de præparatione continua ad mortem: *Ait ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc Parabolam, an & ad omnes? Dixit autem Dominus (non directè respondendo, sed subiungendo Parabolam specialem ad Discipulos, & ad eorum in Cura Animarum gerenda successores, indicans, priorem non fuisse specialem ad Discipulos, sed generalem ad omnes; quia nemo scit horam mortis suæ, & quisque pro omni hora debet esse paratus)*

Quis